



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1645

Seculum nonum ab Anno 800. ad 900.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)

De Albino Alcuino. 780.

Albinus Alcuinus Anglus Bedæ discipulus, in Gallias à Carolo Rege Francorum euocatus multa scripsit, è quibus extant.

Liber de diuinis officiis.

Epistola ad Carolum Regem.

Et altera ad Oduinum presbyterum.

Hæc, inquam, extant in codice impresso Coloniae anno 1568. cum aliis septem auctoribus de eodem argumento.

Extant præterea in Bibliotheca sanctorum Patrum to. 3. edit. 2.

Quæstionum in Genesim, lib. 1

In Ecclesiastem. 1

De virtutibus, & vitiis. 2

Quæstionum de Trinitate. 1

De Trinitate, libri 3

De ratione animæ Epistola ad Eulalium.

De diuinis officiis. 1

Extant etiam epistolæ eiusdem Albini numer. 67. apud Henricum Canisium tom. 1. antiquæ lectionis. Edita sunt denique opera omnia Alcuini Parisiis, in quibus sunt etiam libri septem contra Felicem libri 4. contra Elipandum poemata varia, & vitæ ipsius Alcuini à contemporaneo scripta.

Seculum nonum ab Anno 800. ad 900.

De S. Nicephoro. 811.

Sanctus Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus vixit tempore Leonis III. Põntificis ad quem anno Dom. 811. misit epistolam valde prolixam, quæ extat tom. 9. Annalium Card. Baronii. Scripsit etiam Chronicum, quod extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo edit. secundæ. Scripsit quoque quatuor opuscula contra Iconomachos, quæ extant apud Henricum Canisium tomo quarto antiquæ lectionis. Tandem vir

san.

sanctissimus propter fidei confessionem in exilio obiit
anno Dom. 828.

De Vsuarido. 812.

VSuardus Monachus natione Gallus, Alcuini discipulus, iussu Caroli Magni Martyrologium scripsit satis accuratum, & celebre, quo multæ Ecclesiæ usæ sunt.

De S. Ludgero. 812.

Sanctus Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis, vixit tempore Caroli Magni Imp. de quo illud insigne narratur, quod cum ab imperatore vocatus semel atque iterum ire reculasset, quod in Dei laudibus recitandis occupatus esset: & ipse apud Imperatorem se purgavit, quod maiori Domino obsequium tunc præstaret, & à pio & religioso Imperatore mirifice inde laudatus fuit. Scripsit post sanctum Marcellinum Epistolam egregiam de vita & miraculis S. Suiberti, quæ extant apud Surium die 1. Martii dicitur etiam scripsisse res gestas S. Bonifacii Episcopi, & Martyris, atque Apostoli Germaniæ.

De Aponio. 812.

APonius vir doctus scripsit in Cantica Canticorum Salomonis: quod opus extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 1. edit. 2. & floruisse dicitur anno Dom. 812.

De Eginarto. 814.

EGinartus Cancellarius Caroli Magni, scripsit eius vitam satis diligenter. Scripsit etiam historiam Francorum. Scripsit quoque de translatione sanctorum Petri, & Marcellini prosa, & versu, quæ extant apud Surium tom. 7. die 2. Iunii. Tandem Monach. & Abbas relicto seculo factus est.

De Paschasio Ratherto. 820.

Paschasius Rathertus Abbas Corbeiensis, floruit tempore Paschalis Papæ primi, & Ludouici Imperatoris. Scripsit insignem librum de corpore, & sanguine Domini,

mini, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tome 6. edit. secundæ. Scripsit etiam vitam sancti Athelardi Abbatis, quæ est apud Surium die secundo Ianuarii. Scripsit quoque Threnos Hieremiæ librum: qui editus est Colonia anno 1532. Hic auctor primus fuit, qui serio, & copiose scripsit de veritate corporis, & sanguinis Domini in Eucharistia contra Bertramum presbyterum, qui fuit ex primis, qui eam in dubium reuocarunt.

De Claudio Scoto. 820.

Claudius Scotus vixit tempore Ludouici Pii Imperatoris, cuius expeditionis in Northmannos meminit præfatione Commentarii in Matthæum. Contigit autem ea expeditio anno secundo Ludouici, qui fuit annus Do. 815. Fertur hic auctor scripsisse non solum in Matthæum, sed etiam in Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, & Ruth: an autem hæc extant, ignorare me fateor.

De Iona Aurelianensi. 820.

Ionas Episcopus Aurelianensis eodem imperante Ludouico scripsit libros tres, qui extant, aduersus Claudium Episcopum Taurinensem pro defensione sacrarum Imaginum, & signi sanctæ Crucis, & peregrinationum ad loca sancta. Sed hic tamen auctor caute legendus est quoniam laborat eodem errore, quo Agobardus, & reliqui eius ætatis Galli, qui negabant sacris Imaginibus vllum deberi cultum religiosum, de qua re, vide Anastasium Bibliothecarium præfatione in septimam Synodum.

De S. Theodoro Studite. 820.

Sanctus Theodorus Studites, vir admirandus, & potens opere & sermone, dimicauit pro cultu sacrarum Imaginum, & contra hæresim defendentem adulterium posse fieri licitum ex dispensatione, vsque ad exilia, carceres, & supplicia varia. Tandem miraculis clarus migravit in cælum anno Dom. 826. vide Card. Baronium tom.

9. Annalium, vbi fuſſime de hoc ſancto viro agit, & ſæpe fragmenta epistoliarum eius adducit. Scripsit epistolas plurimas, supra 200. vtiliſſimas, & doctiſſimas, quarum duæ extant in Bibliotheca ſanctorum Patrum tomo 3. edit. ſecundæ. Extat etiam apud Surium die 16. Decembr. vita ſancti Platonis Abbatis, prædeceſſoris S. Theodori, ab ipſo ſancto Theodoro Studita cõſcripta. Extant quoque Catecheſes, & homiliae eiufdem Theodori Studitæ editæ Antuerpiæ interpretibus partim Andrea Scotti Societatis Ieſu Presbytero, partim Ioanne Liuineio Canonico. Extat denique Oratio de Cruce, eiufdem auctoris in ſecundo tomo de Cruce, Iacobi Greſeri Societatis Ieſu.

De Halitgario. 830.

Halitgarius Episcopus Cameracensis, vixit tempore Ludouici Pii, & scripsit libros quinque de vitiis, & virtutibus, & ordine pœnitentium, qui extant apud Henricum Caniſſum tomo 5. p. 2. antiquæ lectionis.

De Amalario Fortunato. 830.

Amalarius Fortunatus Episcopus Treuirensis floruit tempore Gregorii IV. ſummi Pontificis, & Ludouici Pii Imperatoris, cui libros ſuos dedicauit. Scripsit libros quatuor de Eccleſiaſticis officiis. Item ſcripsit librum de ordine antiphonarii, in quo ſe miſſum fuiſſe teſtatur à Ludouico Imperatore ad Gregorium IV. Pontificem.

De Nithardo. 830.

Nithardus Caroli Magni nepos, ex Bertha filia ſcripsit libros quatuor de diſſidio filiorum Ludouici Pii Imp. incipit autem ab exceſſu Caroli Magni, id eſt, ab anno Dom. 814. & perducit hiftoriam ad annum Dom. 843. extat hæc hiftoria cum chronico Frodoardi, & Annalibus Francorum, excuſa Parisiſ anno Dom. 1588.

Defre-

De Freculpho. Lexouienſi. 830.

Freculpus Monachus S. Benedicti, & poſtea Epiſcopus Lexouienſis eodem Ludouico Imperatore floruit. Scripſit enim ad Iuditham Ludouici vxorem libros quinque hiftoriæ vniuerſalis ab orbe condito vſque ad annum Domini ſexcentiſimum: ſed ipſe vixit vſque ad annum Dom. 840. in eo autem falſus fuiſſe inuenitur, quod ſcripſit tom. 2. lib. 4. c. 20. Gothos ab Ariantibus ad fidem Chriſtianam fuiſſe conuerſos. Scribit enim Theodoretus lib. 4. hiftor. cap. vlt. Gothos ab Vlphila Epiſcopo fidem Catholicam fuiſſe edoctos, ſed poſtea tum ipſum Vlphilam, tum eius populos ab Ariantibus fuiſſe ſeductos, neque enim hæretici Paganos conuertere, ſed Catholicos peruertere norunt, vt ſcribit Tertullianus in lib. de præſcriptionibus.

De Hilduino Abbate. 830.

Hilduinus Abbas S. Dionyſii petente Imperatore Ludouico pio ſcripſit Areopagitica, quæ extant cum epiſtolis præfixis Ludouici ad Hilduinum, & Hilduini ad Imperatorem. Reperiuntur hæc apud Surium tomo 5. die 9. Octobris. Sed quod in extremo libro Hilduinus ſcribit paſſum eſſe ſanctum Dionyſium anno Domitiani 16. ingruente, & Chriſti 69. non caret dubitatione, nam S. Ignatius martyrium fecit anno 11. Traiani, teſte S. Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Ignatio. Sanctus autem Dionyſius martyrio conſummatus eſt poſt ſanctum Ignatium, quem nominatim citat in libro de diuinis nominibus cap. 4. citat autem ex epiſtol. ad Romanos, quam ſcripſit ſanctus Ignatius illo ipſo anno, quo mortuus eſt. notum vero eſt Traianum poſt Domitiani, & ſucceſſoris eius Neruæ obitum, imperaſſe. Itaque necelle eſſe videtur, vt S. Dionyſius non ſub Domitiano, ſed ſub Traiano, vel Hadriano, & non anno Chriſti 69. ſed poſt annum Domini centeſimum obierit.

* *
* *
*

De

De Theodulpho Aurelianensi Episcopo. 835.

Theodolphus Abbas Floriacensis, ac deinde Episcopus Aurelianensis tempore Ludouici Pii Imperatoris floruit laude ingenii. Scripsit enim multa, & soluta oratione, & versibus, illius est carmen, quod canitur in die Palmarum, Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe redemptor. Multa alia carmina ipsius extant in Bibliotheca S. Patrum tom. 8. edit. 2. extat etiam apud Card. Baron. tom. 9. Annal. ad annum Dom. 835. epistola lectu digna ad clementem suum Aurelianensem.

De Rabano Episc. Moguntino. 835.

Rabanus Maurus, natione Germanus Abbas Fulden-
sis, fuit tempore Ludouici Pii Imp. Episcopus Moguntinus creatus est tempore Lotharii eius filii. Obiit anno Dom. 856. tempore Ludouici Iunioris Imp. vir fuit æque doctus, ac pius. Scripsit multa & versu, & prosa. Edidit commentaria in vniuersam sacram Scripturam vtriusque testamenti. Edidit etiam libros tres de institutione Clericorum, qui extant cum aliis multis similis argumenti impressi Colonia anno 1568. Sed præter cætera scripsit in flore ætatis suæ opus admirandum soluta, & ligata Oratione de laudibus sanctæ Crucis ad Gregorium IV. Papam anno Dom. 843. quod mortuo Gregorio misit ad Sergium successorem. Extat hoc opus editum studio Iacobi Wimpelingii anno 1501. inter opera Rabani, & Commentarium in Threnos, quod ab aliquibus tribuitur S. Hieronymo, sed vere Rabani est, non Hieronymi, ut diximus supra.

De Strabo Fuldensi. 840.

Strabus Fuldenfis Monachus Rabani discipulus, ex Magistri operibus, decerpens explicationes scripturarum, composuit glossam, quæ dicitur ordinaria, in scripturas vtriusque testamenti, quæ postea aucta, & ornata à posterioribus fuit.

De

De S. Eulogio Martyre. 850.

SANCTUS Eulogius Martyr, & Episcopus electus Tolosanæ Ecclesiæ, vixit tempore persecutionis Saracenorum, qui Cordubæ sedem Regni constituerant: incidit autem ea persecutio, in qua multi gloriosi martyres compendio mortis sacræ vitam æternam possederunt in annos Domini 850. & 851. Sanctus igitur Eulogius occasione persecutionis scripsit memoriale martyrum, ubi tribus libris descripsit martyria Cordubensium martyrum.

Item Apologeticum pro martyribus,

Item Epistolæ aliquot.

Item documentum siue exhortationem ad martirium siue documentum martyriale.

Extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. Tandem & ipse sanctus Eulogius Martyr occubuit anno Dom. 859. Vide Annales Card. Baronii ad hunc annum.

De Haymo Halberstatensi. 850.

HAymo Episcopus Halberstatensis, discipulus quondam Alcuini plurima dicitur scripsisse in omnes scripturæ diuinæ libros. Sed utrum omnia extent, ignoro.

Extant Commentaria in Psalmos.

Item in epistolas omnes S. Pauli.

Item in Prophetas omnes.

Item in Apocalypsim.

Item in Euangelia homiliarum tomi duo.

Item de Christianarum rerum memoria libri tres.

Observatio.

Inter libros Haymonis ponitur Expositio in Cantica. Eadem Cassiodoro, & S. Tomæ tribuitur. Cuius autem sit difficile est iudicare. Sed ratio docere videtur, antiquiori esse tribuendam.

Obit anno Dom. 853. ex Annalibus Card. Baronii ad hunc annum. Alii aliter scribunt.

De

De Angelomo. 850.

Angelomus Monachus Gallus, floruit Lotharii Imperatoris tempore. Scripsit in quatuor libros Regum & in Cantica Canticorum, ex antiquis Patribus explanationem.

Porro præfatione in Cantica laudat Imperatorem Lotharium Angelomus, quod Imperio dimisso Monachus factus sit, & in Monasterio obierit.

De Christiano Druthmaro.

Christianus Druthmanus Monach. Gallus, scripsit Commentar. in Euangelium S. Matthæi, quod extat impressum anno 1530.

De Valafrido Strabone. 849.

Valafrius Strabo à vitio oculorum sic appellatus, Abbas Augiæ scripsit de rebus Ecclesiasticis librum satis utilem, qui extat cum aliis similibus libris vna impressis Colonia anno Dom. 1568. & postea Romæ anno 1590. Scripsit etiam duos libros de sanctis Gallo Abbate & Othmaro, qui extant apud Surium die 16. Octobris, & die 16. Nouembris. Claruit tempore Ludouici Pii Imp. & obiisse dicitur anno Dom. 849.

De Simeone Metaphraсте. 850.

Simeon Metaphrastes floruit paulo ante annum Dom. 859. siquidem Pfellus, qui hoc anno viuebat, orationem habuisse dicitur in funere Simeonis Metaphraste. Vide Annales Card. Baronii ad hunc annum. Scripsit vitas Sanctorum per singulos menses, quas habemus latinitate donatas in romis Aloysii Lipomani, & ex parte apud Surium, de vitis Sanctorum. Illud autem est obseruandum, à Metaphraсте scriptas fuisse historias de vitis Sanctorum multis additis ex proprio ingenio, non vt res gestæ fuerunt, sed vt geri potuerunt: addit enim Metaphrastes multa colloquia, siue dialogos Martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam conuersiones astantium Pagano-

tum in tanto numero; vt incredibiles videantur: denique miracula plurima, & maxima, in euerfione templorum, & Idolorum, & in occifione perfecutorum: quorum nulla est mentio apud veteres hiftoricos. Illud quoque obseruandum est, aliquas hiftorias Sanctorum videri additas à posterioribus, & non omnes esse auctoris eiusdem. Inueniuntur enim vitæ aliquæ Sanctorum, qui post obitum Metaphrastæ vixerunt, quod etiam notauit Cardin. Baronius tomo 10. Annalium, ad annum 859.

De Nicolao Papa I. 858.

Nicolaus Papa primus sedere cœpit in Apostolica sede anno Dom. 858. & sedit annos 10. Vir fuit laetitate, & doctrina, nec non magni animi constantia, & virtute præditus. Scripsit epistolas plurimas, quæ extant seorsim ab aliis Pontificis epistolis in vno magno volumine simul excusæ, quarum præcipua est ad Michaellem Imperatorem, quam ab ipso Pontifice compositam fuisse testatur Anastasius Bibliothecarius in eius vita: & quoniam stylus est idem omnium epistolarum, colligi potest omnium esse auctorem eundem Nicolaum, non autem qui ei à secretis erant.

De Photio Episcopo Constantinopolitano. 858.

Photius Episcopus Constantinopolitanus tempore Nicolai Pontificis, & Michaelis Imp. vixit: fuit homo magnæ eruditionis, sed maioris nequitia. Scripsit Nomenclonem, qui extat cum interpretatione Balsamonis. Scripsit etiam ingentem Bibliothecam, quæ etiam extat Vitæ de eius ambitione, ob quam corrupit epistolas Pontificum Romanorum, & finxit Synodos, tomum 3. Conciliorum generalium Græce, & Latine Romæ excusatum: nec non Card. Baronii tomum 10. Annal.

De Niceta David 858.

Nicetas cognomento David vixit iisdem temporibus quibus Photius, & fideliter scripsit vitam S. Ignatii Episco-

Episcopi Constantinopolitani, & simul etiam descripsit vitia Photii, qui S. Ignatium mire vexavit. Extat liber Nicetæ de vita S. Ignatii Græce, & Latine Romæ excusus cum octava Synodo generali.

De Anastasio Bibliothecario & Abbate. 858.

Anastasius Bibliothecarius, & Abbas Romanus vir doctus Græce, & Latine, hoc ipso tempore floruit. Scripsit vitas Pontificum Romanorum a S. Petro vsque ad Nicolaum I. vertit in Latinam linguam Concilium 7. generale; & scripsit Latine Concilium generale octauum cui ipse interfuit. Vertit etiam in latinum sermonem vitam sancti Ioannis Eleemosynarii.

De Hincmaro Remensi. 860.

Hincmarus Episcopus Remensis vixit tempore Nicolai I. Pontificis, ad quem scripsit, & a quo sæpe literas accepit: & tandem obiit anno Dom. 882. cum sedisset annis 17. teste Frodoardo in historia Remensi. Scripsit epistolam paræneticam ad Carolum Crassum: item aliam de bono regimine ad filios Ludouici iunioris Imperatoris, quarum meminit Frodoardus in eius vita. Extant Epistolæ Hincmari excusæ Moguntia anno 1502. Scripsit quoque vitam S. Remigii Episcopi Remensis, quæ extat apud Surium die 13. Ianuarii, scripsit etiam encomium eiusdem S. Remigii, quod extat apud Suriû die 1. Octobr. Scripsit præterea opusculum 55. capitulorum ad Hincmarum Laudunensem, in cuius opusculi cap. 20. reuocit septimam Synodum generalem, ex errore, quo tunc multi tenebantur, quod ea synodus non fuisset habita ex consensu & approbatione sedis Apostolicæ. De quo errore, vide quæ scripsimus in lib. Controuersiarum, de Imaginibus lib. 2. cap. 14. Scripsit præterea idem Hincmarus aliud opusculum de diuortio Lotarii Regis, & Tetbergæ Reginae, & epistolas varias: quæ omnia edita sunt

Lutetia Parisiorum an-

no 1615.

N 2

D

De Ioanne Diacono. 873.

Ioannes Diaconus vixit tempore Ioannis Papæ VIII cui vitam S. Gregorii dedicauit, id est, anno Dom. 873. hoc enim anno sedere cœpit Ioannes VIII. Scripsit hic auctor libros quatuor de vita S. Gregorii Papæ primi, in quibus res eius gestas accuratissime profecutus est.

De Aimoino. 873.

Aimoinus Monachus Gallus multa scripsisse dicitur, sed nunc extat sola (quod ego sciam) historia de rebus gestis Francorum, quam perducit à primo Rege Faramundo vsque ad obitum Ludouici Pii Caroli Magni filii & annum Dom. 840. Reliqua vsque ad annum Dom. 1165. ab aliquo alio addita esse videntur.

Ipse enim initio sui operis quatuor tantum libros se scripturum promisit, & quatuor libris comprehendit res gestas Fræcorum, vsque ad vltima tempora Ludouici Pii. Sed in fine libri quartidicit, se quintum librum scribere velle de primordiis Ludouici, quæ nimis breuiter perstrinxerat in libro quarto: & in ipso 5. lib. cap. 17. dicit; se interpretatum Ludouico, quid portenderet dirus Cometes, qui tunc apparuerat: & duobus sequentibus capitibus declarat finem vitæ Ludouici, quæ contigit Christi anno 840. atque ibi existimamus esse finem historiae Aimoni, neque vlllo modo credibile est cum superuixisse ad ann. Dom. 1165. ad quem extenditur eius historia: quare quod dicitur cap. 28. contra 8. Synod. & venerationem Imaginum, non videtur Aimoino tribuendum, sed illi, qui historiam eius continuauit.

De Adone Viennensi. 879.

Ado Episcopus Viennensis, scribit de sex ætatibus mundi Chronicum ab Orbe condito vsque ad annum Dom. 879. Huic Adonitribuunt aliqui Martyrologium, de quo dicemus in Adone Treuirenfi.

De

De Remigio Antisiodorensi. 890.

Remigius Antisiodorensis Monachus floruisse videtur circa annum Dom. 890. Siquidem Fulco Remensis Episcopus, qui hoc tempore sedebat, ad scholas instaurandas Magistrum Remigium Antisiodorensis Remos aduocauit, vt Frodoardus in eius vita testatur. Fuit hic Remigius vir ea ætate doctissimus habitus. Scripsit Commentaria in Psalmos ex Patribus Ambrosio, & Augustino multa decerpens. Scripsit etiam in duodecim Prophetas. Scripsit quoque de diuinis officiis: quæ omnia opera impressa extant. Scripsit etiam expositionem Missæ, quæ habetur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. 2. Scripsit de aliis multis argumentis, quæ vtrum extant, ignoro.

De Ambrosio Ansberto. 890.

Ambrosius Ansbertus Monachus eodem tempore floruit. Scripsit autem in Apocalypsim, in Psalmos, & in Cantica canticorum: Dicitur etiam scripsisse de cupiditate, & epistolas ad diuersos.

Seculum decimum ab Anno 900.
da 1000.

De Leone Sapiente Imp.

Leo sextus huius nominis Imperator non sine causa Sapiens dictus est, scripsit enim Epistolam insignem ad Regem Saracenorum de Christianæ fidei veritate, & Saracenorum impietate, vbi disertis verbis Spiritum S. à Patre, & Filio procedere affirmat. Extat hæc epistola in Bibliotheca SS. Patrum tom. 3. Extant etiam in Bibliotheca Vaticana orationis huius Imperatoris plurimæ, quarum titulos, & vnã integram refert Card. Baron. tom. 10. Annual. ad ann. Dom. 911. quo anno hic Imperator obiit. Extant hæc orationes latine redditæ, & Ingolstadii excusæ. Refert quoque Iacobus Gretserus Societatis Iesu